

LUNÆ DIE 19 M. FEBRVARII A. 2001

A.d. XI Kal. Martias a. MMI

I O O

# M E L I S S A

---



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA  
AUSPICIIS DOMUS ERASMIANAЕ CURAQUE FOUNDATIONIS MELISSAE  
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

COMPOSITRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.  
Tel. + 32 (0)2 735.04.08. / Telecop. 02.735.51.32. / guy.licoppe@pophost.eunet.be  
Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4





## ALLOCVTIO

Bruxellis in Domo Erasmiana die 17 m. Feb. a. 2001 habita

Gratias imprimis ago Domino Alexandro Vanautgaerden, musei Domus Erasmiane Bruxellensis strenuissimo curatori, quod nobis licentiam dedit hanc sessionem extraordinariam in ipsa Domo Erasmiana habendi. ¶ Celebramus hodie centesimum Melissae fasciculum in lucem editum. Hoc tamen solum non esset satis magni momenti ut extraordinariam sessionem institueremus. Sed Alexander, qui elegantiae typographicae peritissimus est, nobis suasit ut periodici nostri aspectum faceremus lautiorem, id quod libenter accepimus. Statuimus hanc mutationem factum iri occasione centesimi numeri, a quo sub titulo Melissae inscribetur « auspiciis Domus Erasmiana ». Etiam legitur « cura Fundationis Melissae », quibus verbis subauditur cooperaticem meam Franciscam Deraedt periodici nostri curatricem esse diligentissimam. Gratias etiam ago Alano Van Dievoet, qui numeratur inter Fundationis Melissae conditores atque Melissae transformationis fuit instigator. Per Alanum Francisca egoque consuetudinem, amicitiam rationemque iungere potuimus cum Domus Easmiana curatore. ¶ Huius renovationis occasionem etiam cepimus ad Melissae propositum vicesimo primo saeculo ineunti aptandum. Res enim intra semisaeculum elapsum valde mutatae sunt. ¶ Post alterum bellum mundanum fere omnes docti, etiam ei qui in scientias naturales incumbebant, linguam Latinam et plerumque Graecam in schola didicerant. Quo in contextu ortus est motus Latinitatis vitae. Iohannes Capelle, tunc Universitatis Nanciensis rector, cum esset ingeniarius, dolebat quod symbolae scientificae nimis multis linguis vernaculis conscribebantur. Inde fiebat ut indagatores diversarum regionum alter alterius inventa vix comperire possent. Contra malos effectus huius turris Babylonicae, Rem Publicam Litterarum restituere voluit in omnium gentium doctorum conventu, quem anno 1956 Avennione instituit. Eius consilium erat lingua Latina ad usum scientificum vicesimi saeculi aptanda, quae a doctis adhiberetur in operibus divulgandis. Cum regimina Europaea huic proposito favere noluissent, Americani soli rerum arbitri facti sunt. Europaei, qui tunc nolebant linguam Latinam in usum communem restituere, nunc coacti sunt linguam Anglo-Americanam discere et adhibere. ¶ Post hanc publicam repulsam nonnulli privati homines constanter perrexerunt linguam Latinam ad usum hodiernum accommodare. Pro certo habebant hanc linguam, cum historia et cultu Europaeo artissime coniunctam, necessarium vinculum fore inter nationes Europaeas, quae laboriose conabantur coniurari. Ad hoc consilium participandum anno 1984 creavi periodicum Latinum, cui

nomen Melissae dedi. ¶ Sedecim annis post animadverte debemus nimis paucos inter populares nostros huius consilii momentum percepsisse. Praecipue dolemus quod hi magistri, quorum munus est linguam Latinam docere, non intellexerunt Unionis Europaeae incubationem sibi singularem occasionem praebere, qua linguae Latinae utilitatem demonstrare possent. ¶ Regentes Europaei adhuc frustra quaerunt, quomodo sensum Europaeum apud tot diversas gentes suscitare possint. Caeci historico vinculo Latinitatis non favent. ¶ Quae cum ita sint, sententia nostra iam non erit « Europa Latine ». His accedit quod ante nonnullos annos in America orta est, impulsu professoris Terentii Tunberg, ardens Latinitatis vivae fornacula. Hoc exemplum Lexingtonianum aemulos in aliis Americanis civitatibus iam suscitavit. Omnes Melissae nostrae multum favent, sed de rebus politicis Europaeis vix habent curam; solum cultum Europaeum participant, cuius ossa Latina eis sunt cordi. Quare sub titulo Melissae abhinc inscribentur haec verba: « Folia perenni Latinitati dicata ». ¶ Conabimur in futuris Melissae fasciculis Latinitatem omnis aevi notiorem facere. Erasmo duce, ut nos nunc decet, Latinitatem tempore Renascentiae expurgatam non praetermittemus contra morem scholarum nostrarum. Symbolas proponemus et faciliores et difficiliores lectu, ne tirones a Latine legendo iam a primis lineis avertantur. ¶ Insanum est, nostro sensu, Latine discere et postea iam nihil Latini legere. Quare aliquid conferre volumus, quo ubique terrarum quam plurimi homines ad legendum alliciantur. ¶ Si nova Melissa vobis placet, adiuvate nos ad eam quam latissime diffundendam. Cum maiore pretio constet, oportet maiorem subnotatorum numerum habeamus, ne in futurum subnotationis pretium augere cogamur. Duxi. ☩

Gaius LICOPPE

---

P.S.: Hoc Melissae fasciculo propter singularem occasionem solum duae longae symbolae continentur; proximo autem fasciculo revertetur ad argumenta anteriora, quae nondum conclusa sunt.

## DE DESIDERII ERASMI COLLOQVVIIS

- narravit Theodoricus Sacré -

**B**ipertitam<sup>1</sup> mihi, auditores, oratiunculam hanc ita proposueram ut altera pars esset de Erasmi Roterodami vita, de *Colloquis* eiusdem altera. Verum longum est viri huius enarrare vitam, ut qui mores multorum viderit et urbes sedemque totiens mutaverit. Hic ergo quam velim ero brevior, ne ipsa *Colloquia* intacta indictave relinquam.

Atqui Erasmus<sup>2</sup> Roterodami natus ; quo anno, non constat : sunt nunc quibus arrideat millesimus quadringentesimus sexagesimus sextus. Pater, cui Gerardo erat nomen, cum matre Margarita rem habuit clam, aut spe coniugii, ut pauciores volunt, aut sacerdotio iam destinatus, ut pluribus videtur. Utcumque erat, relicta est mulier grava. Mox Desiderius puer ab una matre alebatur. Quacum ille Daventriam (in urbem quae Deventer Nederlandice audit) abiit, ubi litteras docebat Alexander Hegius, qui aliquid melioris litteraturae, hoc est litterarum ad pristinum sive antiquum nitorem revocatarum, invehere cooperat. Tum pestis vehementer ibi saeviens sustulit matrem, quae tutores instituerat mediocremque filio legavit rem. Qui tutores cum Erasmo orbo de monasterio agere coeperunt ; allectus ipse est in monasterium canonicorum regularium Steynianum iuxta Goudam. Professus est sacramque sumpsit vestem Augustinianam. Interea, inclarescente iam ingenii fama, accidit ut ab Henrico a Bergis, episcopo Cameracensi (Cameracum Cambrai nunc appellatur), arcesseretur ; qui Erasmus in aula secum retinuit ; hinc multorum eorumque nobilium amicitias sibi comparavit Roterodamus, quo etiam factum est ut studiorum perficiendorum caussa in Galliam mitteretur. Musae ibi Latinae litavit, ad quam erat a teneris unguiculis propensior. Auxilio autem Maecenatis destitutus, adolescentes quosdam nobiles Latine instituit et obidipsum *Colloquiorum Formulas* scribere est aggressus. Saeviante peste Lovanium inde devortit ; hinc a discipulo quodam suo in Angliam est evocatus ; mox et in Italiam sese contulit, cuius videndae desiderio semper tenebatur. Huius autem itineris comites habuit adulescentes duos nobiles, qui eo utebantur praecooperare. Augustae Taurinorum doctor theologiae est renuntiatus ; Venetiis autem Aldum Manutium typographum atque editorem cognovit ; vidiit et urbem ipsam, Romam dico. At in Angliam denuo abiit. Hic enim Gulielmus Waramus (sive Warham), vir magnae in rebus sacris auctoritatis, docendi ei obtulit munus. Quo munere Erasmus cum in studiorum universitate Cantabrigensi aliquamdiu esset functus, Basileam petiit, familiarissime usus Iohanne Frobenio, eorum omnium qui libros excudebant longe clarissimo -

« Quis nescit sapiens operosi praela Frobini<sup>3</sup> ? » - ; quicum se totum litteris abdidit. Inde se subduxit in Brabantiam, invitatus in aulam Caroli postmodum Caesaris, cui factus est a consiliis. Cetera nil ad nos, quibus *Colloquia* curae. Proinde ad dialogos eos animos iam advertamus.



Anno millesimo quingentesimo vicesimo quarto, tempore Paschali, fama quaedam incerta per urbem vagabatur Lovaniensem et per agros serpebat eademque, id quod saepe fieri solet, crescebat eundo. Nam alumni quidam studiorum universitatem frequentantes, cum sentinas in sacerdotum cucullas effudissent commissaque essent confessi, factis confessionibus dimissi fuisse dicebantur nec tamen absoluti ; paenitentiae ergo locum ipsis non fuisse datum ; dimissionis autem illud fuisse in caussa, quod iuvenes ei Desiderii Erasmi *Colloquia* studiose lectitavissent. Quae res inaudita multorum commovit animos. Immo theologorum decanus Lovaniensis suis indixit diem ad conveniendum, ut facultas stricta de ea re consuleret. Quo in concessu professor unusquisque interrogatus crimen fama vulgarium pernegasit ; quae cum ita essent, Magistri tamen Nostri sive theologi omnem lapidem movendum esse censebant, ut *Colloquia* Erasmiana, adulescentibus haudquaquam convenientia, prohiberentur et ut perniciosissimum illud opus ex artium scholis prorsus eliminaretur. Quin immo, oratoribus sacris suadendum esse senserunt ut apud Christifideles contionantes Erasmo illi omni nervorum contentione repugnarent eiusque *Colloquia* damnarent tamquam si dialogi essent daemonicaci eidemque diabolici.

Eiusmodi autem nuntios Basileam perlatos (nam anno illius saeculi uno et vicesimo penates in eam urbem transtulerat noster) quo vultu accepisse credamus ? Quo animo ? Riseritne an doluerit, incertum. Ego vero Erasmus, cum de his rebus certior esset factus, doluisse facili coniectura adducor ut credam. Quidni ? *Colloquia* ea, tamenetsi omnium erant in ore erantque in manibus, etiamsi in scholis gymnasiiisque Germaniae et Galliae passim praelegebantur, tametsi deciens et quod excurrit typis iam excusa ad viri famam late divulgandam haud parum contulerant, invidiam quoque scriptori ipsi conflarunt, reclamantibus atque obstrepentibus theologis et locos hic illic carpentibus, quos a recta religionis doctrina abhorrere contendenter. Ceterum iam ante annum, quem dixi, eius centuriae

quartum et vicesimum bis accidit Erasmo ut insimulatur, quod dialogi fide parum sana scaterent ; itaque editis apologiis, theologorum Sorbonicorum et Lovaniensium censuris necessario erat ei respondendum. Nec tamen censura ea agi dehinc est desita, sed Magistri Nostri (quos appellavit noster) opus maledico dente carpere perrexere. Quo factum etiam est, paucis post Erasmi obitum annis, ut *Colloquia* in librorum reprobatorum catalogos sint relata. Namque, ut exemplum afferam, in Indice librorum censura dignorum, qui anno millesimo quingentesimo undesexagesimo Vallisoleti est evulgatus (Vallisoletum est autem urbs ea Castiliae quae Valladolid vulgo nuncupatur), ita legitur :

*Erasmi Roterodami reprobantur opera quae sequuntur : Moria, tam Latino quam vulgari sermone ; Colloquia, tam Latino quam vulgari sermone ; Enchiridion, tam Latino quam vulgari sermone<sup>4</sup>* et ita porro.

Ceterum Erasmi nomen de Indice librorum prohibitorum non est deletum ante iniens hoc, quo vivimus, saeculum, cum anno millesimo nongentesimo, iussu Leonis Pontificis Maximi eius nominis tertii et decimi, opera Roterodami e catalogo illo infausto atque infelici tandem sunt sublata.

Sit invidia gloriae comes ; at ego nullus dubito quin diuturna illa damnatio vobis, auditores, prima specie intuentibus mira admodum videatur. Scholasticus est enim, id quod probe scitis, *Colloquiorum familiarium* libellus ; puerorum is est conscriptus in usus, a quibus Latine loqui cupientibus diligenter edisceretur memoriaeque mandaretur. Et scriptorem iuvit tironum caussa aliquot dies repuerascere, cum stilum sententiasque ad teneram attemperaret aetatalam - ut ipsius verba adferam. Atqui fuerunt qui dicerent tale *Enchiridion* ignibus dignum rogoque ! Illud ergo nobis quaerendum, unde res eo sit olim deducta, ut litterarum genus puerile quoddam atque innocens complurium reipublicae Christianae censorum iudiciis pestem perniciemque adulescentibus attulisse videretur. Proinde *Colloquia* illa, si vobis videtur, paulo penitus scrutemur, libri ortus, origines, incrementa commemoremus, dialogorum virtutes et vicia, si qua sint, paucis adumbremus.

Prima igitur *Colloquiorum* editio, qua Formulae potius quaedam continebantur quam colloquia pura puta, Basileae prodiit anno millesimo quingentesimo duodecimesimo ; ipsum vero opus viginti ante annis, exeunte saeculo decimo quinto, litteris mandari est coeptum.



Theodoricus  
Sacré  
acroasin  
faciens  
in monte  
Erycino.

Illa enim tempestate Desiderius Erasmus in sacerdotum ordinem iam adscriptus votaque professus Lutetiam sese receperat ut, studiis insudando, theologiae doctor renuntiaretur. Illic in Collegio Montis Acuti versabatur ; quod cum ei haudquaquam arridet, mox excessit. Obidipsum omni destitutus auxilio et stipendio, victus quaerendi causa nobiles quosdam et locupletes adulescentes elementa linguae Latinae docere coepérat, quamvis a praceptoris munere tota vita abhorreret. Utut erat, elegantes sane et castigatas formulas locutionesque litteris ibi mandabat, ut alumni probata haberent sermonis Latini exempla, quorum ope et auxilio qua domi, qua in scholis, qua in itinere Latine et emendate loqui addiscerent. Namque eis temporibus pueri scholastici sive tirones Latine dum instituuntur, Latine inter se atque id quidem necessario colloquebantur ; item adulescentes quotquot studiorum universitates frequentabant, edocebantur Latine. Quid multa ? Doctrina omnis et politiores litterae, quotiens in publicum prodibant, totiens Latinas induitae vestes prodibant ; litterarum autem copiam et thesaurum adire iis tantum fas, qui Latine essent periti. Accedit huc quod nemo homo in summum evehebatur fastigium ad summamve perducebatur dignitatem quin Latine calleret, quoniam Ecclesia Romana Latino utebatur sermone, diversarum nationum legati Latine consulebant inter se, Themis dea ipsa sententias Latine ferebat, litteratorum respublica civibus Latine rudibus aqua et igni interdicere videbatur. Haec quotus quisque inter vos est qui nesciat ? Quis vero saeculo quinto et decimo antiquum eum sermonem cum lacte nutricis suixerat ? Nemo profecto. Unde ergo haurienda Latinitas ? Ex imitatione ! Toto ergo studiorum curriculo imitationi insudabant alumni, ut veteres indefesim atque affatim imitando et exprimendo sensim eo

pervenirent, ut emendate loquerentur iidemque eleganter scribebent. At quo tempore Erasmus Parisiis versabatur, Latinitas pessime opprimebatur a barbaris - ut cum Laurentio Valla, patricio Romano, loquar :

*Siquidem multis iam seculis non modo Latine nemo locutus est, sed ne Latina quidem legens intellexit : non philosophie studiosi philosophos, non causidici oratores, non legulei iurisconsultos, non ceteri lectores veterum libros perceptos habuerunt aut habent, quasi amissio Romano imperio non deceat Romane nec loqui nec sapere, fulgor rem illum Latinitatis situ ac rubigine passi obsolescere. (...) Quousque, inquam, Quirites, urbem nostram, non dico domicilium imperii, sed parentem litterarum, a Gallis captam esse patiemini, id est Latinitatem a barbaria oppressam<sup>5</sup>?*

Haec Valla. Barbariae autem, quam Laurentius ille dixit, arx quasi quaedam inexpugnabilis et propugnaculum erat Sorbonica universitas Parisina - en caussa, cur Romam a Gallis iterum captam existumabat Valla, humanistarum (qui dicuntur) antesignanus. - ; illius enim studiorum domicilii professores, si humanistis credere fas, misso pudore omni, sermone docebant et scribebant barbaro, immixtis verbis vulgaribus sive vernaculis, morphologiae et syntaxis legibus usque vio-latis, eo dicendi genere contenti, quod Romani ipsi, si a morte ad vitam essent revocati, audiendo ne intellexissent quidem. Atque eo pravo dicendi genere et dialectice et philosophia scholastica tradebatur atque excolebatur. Ceterum pestis haec ut ita dicam sermonis, ab antiqua loqua toto distantis caelo, non unam studiorum universitatem Parisinam invaserat, verum per singula fere gymnasia universa atque Athenaea erat grassata. Quod ut exemplo firmem, locum afferam quandam e dialogo excerptum exeunte saeculo quinto et decimo in lucem edito a Paulo Niave sive Schneefogel (fl. 1479-1514), qui postquam apud

Ingolstadienses studiis incubuit, Lipsiae, Halae aliisque in urbibus Germaniae Latine docuit pueros eosque donavit « dialogis ad Latinum idioma perutilissimis » (ut ipse asseveravit). In his est colloquium tirunculi cuiusdam satis rudis, cui nomen Scorial, et Florini, iuvenis artibus ingenuis iam insudantis. Finxit Niavis alterum cum altero primum congregari ; sciscitur Scorial sermone barbaro et semitheodisco qualis sit vita academica, emendate vero et Latine respondet Florinus :

SCORIBAL : Benevenis (!), Florine ! Ille (!) filius pistoris dixit mibi quod (!) tu venisti, et ego ita curri (!), ut pes (!) faciunt (!) mibi awe (!).

FLORINUS : Gratia tibi pro hac tua in me benevolentia sit atque adeo maxima.

SCORIBAL : Pie Florine, venisti iam de alta schola (!) ?

FLORINUS : Probe narras, quia disciplinarum nemo virtutemque metitur fastigium. (...)

SCORIBAL : Ei, per Deum sanctum, tu bene studiisti ! Scit (!) unus (!) ita bene in illa alta schola (!) studere ? (...)

SCORIBAL : Pie Florine, quando velles (!) hoc sero (!) cum (!) ire, vellemus (!) ad unum (!) bonum locum ire et laeti esse.

FLORINUS : Quorsumnam iturus es ? Enarra !

SCORIBAL : Quando cum (!) venis (!), tunc vides (!) quem tibi facio (!) honorem, sed iam non (!) quando nox erit : tunc debes cum (!) ire et volumus ire ad colum.


FLORINUS : Non satis iam tuum intellego sermonem, loquere significantius !

SCORIBAL : Quando famulae domus exlaboraverunt (!) et tunc in nocte (!) vadunt ad unum (!) domum et solent nere, hoc vocant « ad colum ». Et veniunt tunc socii ad causerias (!) suas et accipiunt ad bracchias (!) et dant sibi os (!) et palpant ad mamillam (!). Hoc facit uni (!) ita bene, quam (!) tu non credis. Facitis hoc etiam in magna schola vestra ?

FLORINUS : Extremam narras dementiam...

SCORIBAL : Ego non scio (!) illud mirabile Latinum, quod tu loqueris.<sup>6</sup>

Et ita porro. Ne multa, Desiderius quoque Erasmus, ut his miserrimis condicionibus subveniret et semilatinitatatem illam, qua tirones a scriptorum antiquorum intelligentia captuque prohibebantur, expelleret exploderetque, dialogos conscripsit vere aureos ; in quibus effingendis sermonem ad veterem nitorem dignitatemque pristinam revocare est conatus, vocabulis locutionibusque e probatissimis scriptoribus desumptis, veluti Terentio, Plauto, Vergilio, Horatio, Tullio : ita ille quidem ipse asseveravit ; nam in tanta investigatio-




Erasmi Familiarium colloquiorum formulae, Lutetiae  
apud C. Resch, 1519, p. 9. In museo Domus Erasmiana, MEH 1178.

num doctarum copia valde equidem miror quod nemo adhuc, quod sciam, fontes ipsos scrutatus est, unde hauserat Erasmus ; -idemque illud pro certo affirmare ausim, Roterodamum haud pauca esse mutuatum ex Apuleio, Hieronymo, e libris divinis, quorum ne mentio quidem a nostro est facta. Utcumque erat, colloquia ingenti verborum rerumque copia atque ubertate insignebantur. Etenim, cum grammatici qui paulo ante floruerunt, mentibus puerilibus inculcare soliti essent leges morphologicas et normas syntacticas easque versibus haud raro reddidissent (veluti « cedo facit cessi, cecidi cado, caedo cecidi » : est hexameter sive heroicus versus ad tempora primaria memoriter tenenda non inutilis), Erasmus e contra normis eis posthabitis, ad verborum locutionumque supellectilem potius advertit animum, non ignarus « aliud esse grammaticae loqui, aliud Latine », ut cum Fabio loquar. Quod autem dialogos sive colloquia conformavit, in eo exempla et sui aevi et vetustiora est secutus. Nam inde a saeculo quinto et decimo exeunte colloquiorum moles magna catervatim, ut ita dicam, in lucem est edita.

Quamquam Erasmus, dum novis obtemperat moribus iam iam consuetudine receptis, tironum utilitatem dubio procul respexit, quia eiusmodi dialogi, a ludo (cuius pueri sunt avidissimi) proxime distantes, memoriae facile mandantur ad actumque scaenarum non minus expedite componuntur, tum etiam quia in talibus colloquiis multa veluti in speculo exhibentur, ita ut pueri, etsi res e verbis scriptis discant, eas tamen vitam ipsam experiundo discere sibi videantur.

Ceterum genus illud litterarium haudquaquam e nihilo creaverunt viri qui renatarum litterarum temporibus floruerunt. Ipsi enim omni procul dubio innotuerat colloquiorum libellus, cui titulus Graecus *Peri homilias kathemerines* sive *De sermonibus cottidianis* ; quis scripsit non liquet ; sunt qui in Iulium Pollucem conferant. Qui libellus, Graecorum in usum Latine addiscendentium olim exaratus, anno 1516 a Beato Rhenano, intimo Erasmi amico, publici est factus iuris. Haec de fontibus exemplisque, quae forsitan sit imitatus Roterodamus, hactenus. Nam de Luciani, scriptoris Graeci, sermonibus ne gry quidem addam, qui neque *Partitiones oratorias* Tullianas attingam aliaque mittam diverbia. Ipse vero Erasmus, cum operi sese primum accingeret, sermones factios et ficticos conseruit ; prodibant enim in scaenam qui idem mille modis, qui eadem millenis modis enuntiarent, scriptore copiae potius quam veri similitudini inserviente et formulas continuante potius quam vivos repraesentante sermones. Ecce exemplum (est locus e *Valetudinis formulis* allatus) :



CHRISTIANUS : Ut vales, optime Augustine ? Qui vales ? Quo pacto tecum agitur ? Ut babes ?

AUGUSTINUS : Recte, bene valeo, belle, perbelle, bellissime, feliciter, quam optime, pulubre, festiwaliter, haud male quidem valeo, bene babeo.

Sin minus recte vales, cave dicas vulgato more « taliter qualiter », quae culinaria est elegantia, haud oratoria ; sed sic responde : equidem utcumque valeo. Mediocriter quidem valeo. Ut possum,

quando ut volumus non licet. Ut soleo. Ita ut superis visum est. Non optime sane. Plane infeliciter. Non admodum ex sententia. At tu qua valetudine es ? Ecquid valuisti usque ? Verum tu, Christiane, satin recte vales ? Qua valetudine es praeditus ? (Sic forte recte dixeris, si de perpetua corporis temperatura perconteris, non de praesenti corporis affectione).

CHRISTIANUS : Fausta, incolumi valetudine, felici, prospera, bona, optima, basilica, athletica, pancratifica.

Paulo autem post ad vivum iam videtur esse expressus sermo atque effectus. Et hoc quem lecturi sumus loco de valetudine agitur et de ambigua verbi valendi vi, de duplice eius verbi significatu (refertur enim tam ad corporis valetudinem quam ad animi statum habitumque) : est percontandi forma in primo congressu :

GEORGIUS : Valesne ?

LIVINUS : Contemplare vultum !

GEORGIUS : Quin magis lotium iubes ?

LIVINUS : An me putas medicum ?

GEORGIUS : Non rogo quid valeas, nam facies ipsa loquitur te belle valere, sed quomodo tibi placeas.

LIVINUS : Corpus quidem belle habet, sed animo male est.

GEORGIUS : At non valet qui ista parte laborat.

Itaque Erasmus, cum id genus colloquia nonnulla tironum gratia Lutetiae conscrisisset, librum manu scriptum amico cuidam in manus dedit, uti et is haberet quod paelegeret, uti et is tironibus traderet salutandi, percontandi, commendandi formulas emendationes. De editione autem ipse nihil curavit. At viginti post annis liber inscio Erasco prelo est commissus ; quem cum ille divulgatum, mendis deturpatum, erroribus scatentem vidisset, editori vehementer suscensuit, quippe

qui alia de suo affinxisset, alia ex diversis scriptoribus deprompta Erasmianis immiscuisset, sermonem ipsum soloecismis infecisset. Inibi enim (ut ex hoc uno cetera coniciatis) scribebatur « dare salutationem » pro « salutem dicere ». Verum colloquia ea typis vulgata uni Desiderio Erasmo tribuebantur ascribebanturque. Quid ergo ? Facere ille non potuit quin librum sedulo perlegeret, perfectum emendaret, emendatum perpoliret. Quo in limae labore mox intellexit virtutibus, facultibus, potestatibus paene infinitis pollere et commendari genus id litterarium, quod viginti annis ante luserat et id nunc retructavit. Quodsi eiusmodi sermones tot allegerunt legentes, non erat cur ad solos tirones seponerentur ; cupiebant colloquia ea adultos quoque ac Latine iam excultos viros qui legerent ; et iisdem dialogis non solum Latiniores reddi poterant homines, sed etiam meliores : nam quid obstabat quominus praecpta iisdem moralia interspergerentur ? Quid impiediebat ne ea quae fusius alibi essent exposita atque ea spissis quidem tractatibus, in compendium heic redacta proponerentur ? Quid denique erat cur sales iocive non insererentur, quibus lectores caperentur, non deciperentur ? Itaque volumen semel atque iterum auctum atque editum in ingentem paulatim excrevit molem paginarum amplius septingentarum (namque editio critica quae ante hos viginti septem annos Amstelodami prodiit, amplectitur plus septingentas).

Ergo iusto contendas iure enchiridion sive scholarem libellum mox in spissum excreuisse librum ; colloquia ipsa extra artos oecorum scholasticorum cancellos longe esse egressa, lusum modestiorem evasisse opus omnibus absolutum numeris, quod iuniorum aequa ac seniorum desideraret oculos. Nam initio quidem pueri primas agebant tironesque inter se colloquebantur vel a praceptorē compellabantur. Iam vero in scaenam Erasmianam prodierunt monachi, nobiles, heroinae, proci, matres familias, neque ii tantum, sed etiam scorta, pistores, porcinarii, lanii aliquique haud pauci, quos Latine tam rudes fuisse constat ut hoc sermone ne unum quidem verbum effutire valuerint (nisi forte Orationem Dominicam memoriter tenebant). Hi nunc omnes inter se confabulabantur sermone doctorum in viis, in triviis, in ludis litterariis, in aedibus nescio quibus. Nam praemabat Erasmus primos congressus hominum quorundam vel fortuitos effingere occursus binorum vel ternorum vel sumnum quaternorum collocutorum, ne confabulationes intellectu nimium difficiles evaderent legentiumve superarent captum. Itaque, ut exempla afferam aliquot, in *Gerontologia* sive senum colloquio vir quidam nomine Eusebius tribus occurrit congerronibus, compo-

toribus dico vel veteribus sodalibus, quos annis quadraginta non vidit quique currum opperuntur Antverpiam ad mercatum ipsos avecturum. Iuvat ergo eum cum his in curru confabulari ; itaque narrant viatores quid intra eos quadraginta annos egerint, vitas suas recensent ita, ut in hoc colloquio diversissima vitae genera utiliter inter se comparentur. Nec desunt ioci, ut patet cum ex aliis, tum ex hoc loco :

*EUSEBIUS : Quas novas aves hic video ? Nisi me fallit animus aut parum prospiciunt oculi, video tres veteres congerrones meos considentes, Pampirum, Polygamum et Glycionem. Certe ipsi sunt.*

*PAMPIRUS : Quid tibi vis cum tuis vitreis oculis, fascinator ? Congredere proprius, Eusebi.*

*POLYGAMUS : Salve, multum exoptate Eusebi.*

*GLYCION : Bene tibi sit, vir optime.*

*EUSEBIUS : Salvete vos omnes una salute pariter mibi carissima capita. Quis deus aut casus deo felicior nos coniunxit ? Nam nemo, credo, vedit alium annis, opinor, iam quadraginta. Quid hic agitis ?*

*PAMPIRUS : Sedemus.*

*EUSEBIUS : Video, sed qua de causa ?*

*POLYGAMUS : Opperimur currum qui nos devebat Antverpiam.*

*EUSEBIUS : Ad mercatum ?*

*POLYGAMUS : Scilicet, sed spectatores magis quam negotiatores. Quamquam aliis aliud est negoti.*

*EUSEBIUS : Et nobis eodem est iter. Verum quid obstat quominus eatis ?*

*POLYGAMUS : Nondum convenit cum aurigis.*

*EUSEBIUS : Difficile genus hominum. Sed visne ut illis imponamus ?*

*POLYGAMUS : Liberet, si liceret.*

*EUSEBIUS : Simulemus nos velle simul abire pedites.*

*POLYGAMUS : Citius credant cancros volaturos, quam nos tam grandes pedibus hoc iter confecturos.*

*GLYCION : Vultis rectum verumque consilium ?*

*POLYGAMUS : Maxime.*

*GLYCION : Illi potant. Id quo faciunt diutius, hoc plus erit periculi necubi nos deiciant in lutum.*

*POLYGAMUS : Admodum diluculo venias oportet, si sobrium aurigam velis.*

*GLYCION : Quo maturius perveniamus Antverpiam, nobis quattuor solis currum stipulemur.*

Iam vero in colloquio *Abbatis et eruditae* monachus quidam stultissimus heroinae (quo nomine eis temporibus mulier significabatur nobilis) grapheum ingressus congestos ibi miratur et in pluteis collocatos libros Graecos hercle et Latinos, quos mulieribus haud

convenire autumat : « sunt enim fusus et colus arma muliebria » :

ANTRONIUS : *Quam hic ego supellectilem video ?*

MAGDALIA : *Annon elegantem ?*

ANTRONIUS : *Nescio quam elegantem, certe parum decoram et puellae et matronae.*

MAGDALIA : *Quamobrem ?*

ANTRONIUS : *Quia librorum plena sunt omnia.*

MAGDALIA : *Tu tantus natu, tum abbas et aulicus, num quam vidisti libros in aedibus heroinarum ?*

ANTRONIUS : *Vidi, sed Gallice scriptos ; hic video Graecos et Latinos.*

Hoc ergo colloquio Erasmus monachos abbatesque studiorum osores, immo luxui, otio, venationibus, aleae, conviviis deditos ad aliud studiorum genus atque id quidem sacrum exhortatur et exstimplat.

Interlocutorum autem (ut verbo utar recentiore) nomina e comoediis antiquis magna ex parte sunt petita nec raro fit ut inter se nomina convenient et mores sintque omnia nomina. Cavit vero Erasmus ne se ipse disputationem introduceret, ne quae a colloquiorum personis essent dicta, ea in ipsum scriptorem reici possent, ne sibi aliorum imputarentur sententiae criminive darentur. Et eo ipso modo censuras antevertisse mihi ille videtur. Etsi fit interdum ut qui inter se colloquuntur Erasmus ipsum obiter attingant, veluti cum adulescens quidam meretricem adit eamque hortatur ut ad bonam sese frugem recipiat ; quo in colloquio Sophronius (nam id ei nomen) de peregrinatione Romana narrat, qua se vitiis extirpatis pientissimum esse factum contendit. Iam locum ipsum legamus :

SOPHRONIUS : *Ceteri fere ideo eunt Romam ut redeant deteriores ; et ad eam rem ibi suppetunt affatim occasiones. Ego cum probo viro profectus sum, cuius bortatu pro lagoena libellum mecum attuli, Novum Testamentum ab Erasmo versum.*

LUCRETIA : *Ab Erasmo ? Aiunt illum esse sesquibæreticum.*

SOPHRONIUS : *Num et hoc pervenit illius viri nomen ?*

LUCRETIA : *Nullum celebrius apud nos.*

SOPHRONIUS : *Vidistin hominem ?*

LUCRETIA : *Numquam, sed optarim vidisse, de quo tam multa audivi mala.*

SOPHRONIUS : *Fortasse a malis.*

LUCRETIA : *Immo a viris reverendis.*

SOPHRONIUS : *A quibus ?*

LUCRETIA : *Non expedit dicere.*

Illud ergo a Lucretia illa scorto quaerendum, unde Erasmus cognoverit ; nam si ipsum non vidit, multa de eo fando audivit ; unde manifestum est sacerdotes aliquos Lucretiae lupanar esse ingressos meretricemque aliquo iam ut ita dicam affecisse honore... Accedit huc quod Erasmus a censoribus vehementer est vituperatus, quod in eodem colloquio *Adulescentis et scorti* vocem mentulae admiserat :

LUCRETIA : *Euge mi lepidissime Soproni, tandem nobis redditus es ? Nam mibi videris abfuisse saeculum. Prima fronte vix te agnoscebam.*

SOPHRONIUS : *Quam ob rem, mea Lucretia ?*

LUCRETIA : *Quia pro imberbi nobis rediisti barbatulus.*

*Quid rei est, meum corculum ? Nam videre solito torvior.*

SOPHRONIUS : *Cupio tecum seorsim colloqui familiarius.*

LUCRETIA : *Au au, non solae sumus, mea mentula ?*

SOPHRONIUS : *Secedamus in locum secretiorem.*

LUCRETIA : *Age concedamus in cubiculum interius, si quid libet.*

SOPHRONIUS : *Nondum hic locus mibi videtur satis secretus.*

LUCRETIA : *Unde iste novus pudor ? Est mibi museion, ubi repono mundum meum, locus adeo obscurus, ut vix ego te visura sim, aut tu me.*

SOPHRONIUS : *Circumspice rimas omnes.*

LUCRETIA : *Rima nulla est.*

SOPHRONIUS : *Nullus est in propinquuo qui nos exaudiat ?*

LUCRETIA : *Ne musca quidem, mea lux. Quid cunctaris ?*

SOPHRONIUS : *Fallemus heic oculos Dei ?*

LUCRETIA : *Nequaquam : ille perspicit omnia.*

SOPHRONIUS : *Et angelorum ?*

LUCRETIA : *Illorum oculos non licet effugere.*

SOPHRONIUS : *Qui fit igitur ut non pudeat homines id facere coram oculis Dei ac testibus sanctis angelis, quod*



Erasmi Colloquia,  
Rothomagi apud  
R. Lallemant, 1773,  
delineatio facta in dorso  
tigimenti pergamени.  
In museo Domus  
Erasmiana, MEH 1260.

*puderet facere in conspectu hominum ?*

*LUCRETIA : Quid hoc novae rei est ? Venisti buc concionaturus ?*

Cupit autem Sophronius Lucretiae colloquium privatum, non de re Venerea, ut illa autumavit, verum de rebus gravioribus deque vitae condicionibus mutandis. Admissum est tamen nomen mentulae. De quo verbo Erasmus alibi haec : « Unica vox commovit quosdam, quod impudica puella blandiens adulescenti vocat illum suam mentulam, cum hoc apud nos vulgatissimum sit etiam honestis matronis. » Quod haud scio an recte monuerit. Nec minus recte subiunxit haec : « Et qui hanc lectionem ob lasciviam putant esse noxiā pueris, patiuntur ipsis praelegi Plautum ! Praeclara iudicia ! ». Haec de hoc colloquio satis.

De sermonum vero argumentis singulis universis, quae quidem ab Erasmo sunt tractata, dicere longum est ; dies deficiat, si omnia velim enumerare et recensere. At generatim ea mihi percurrenti duplex occurrit species. Sunt enim alia argumenta scholastica eademque digna quae pueri memoriis mandent ; quibus exponitur quae sit morum urbanitas ; quemadmodum sit confitendum ; quomodo discipulis ludendi venia a praecopatore sit extorquenda ; quae sint lusuum genera, id est quibus rationibus tirones ludum globorum missilium vel ludum pilarum palmariarum Latine ludere queant, et ita porro. Alia vero colloquia eaque mea quidem sententia lectu paulo digniora, orbem extra scholasticum tam longe sunt posita, ut puerorum captum interdum exsuperent magisque cupiant a parentibus evolvi et revolvi quam a liberis. Ab his ergo colloquiis nihil

fere scriptor exclusit quod eruditī cuiusque viri cogitatione ac reputatione dignum existimaret. In iisdem exposuit ille quid sentiendum de peregrinationibus religionis ergo temere susceptis ; de esu carnium deque constitutionibus humanis quibus interdictum erat ne hominibus carnibus vescerentur ; de fallacia eorum qui puellas, invitis parentibus, in monasteria pelliciebant, tamquam si nulla salutis spes esset extra coetus eos ; de ementita nobilitate eorum qui titulis gloriabantur empticiis ; de crassa monachorum ignorantia haud paucorum ; de indulgentiarum abusu ; de uxore diligenda ; de liberis suscipiendis ; de militibus qui temere procurrebant ad bella plerumque iniusta et impia perpetrabant facinora ; de puellis et mulieribus ingenuis instituendis ; de deligidis muneribus - in quo genere mihi etiamnunc mirum in modum arrident verba Glycionis senis, Erasmi ipsius partes quodammodo agentis :

*Est mibi munus publicum et poterant contingere maiora.  
Verum hoc mibi delegi, quod tantum haberet dignitatis,  
ut me vindicaret a contemptu. Hoc contentus nihil  
umquam maius ambi.*


Subiunguntur haec verba vere aurea :

*Magistratum sic gessi, ut illi ex me dignitas accreverit.  
Hoc ego pulchrius duco quam ex munera splendore  
dignitatem mutuo sumere.*

Hanc ego sententiam *Gerontologiae* insertam inter pulcherrimas semper numeravi eamque pro vere Erasmiana diu duxi. Quidni ? Editores recentiores fontem huiusc sententiae aperuere nullum. Tamen erravi ; nam ante has paucissimas septimanas fons mihi forte fortuna occurrit Boethi *Consolationem philosophiae* perlegenti : qui inter alia haec : « Ita fit ut non virtutibus ex dignitate, sed ex virtute dignitatibus honor accedat » (2, 6). Quo ex exemplo patet in Erasmi *Colloquiis* multa etiamnunc esse quae interpretem desiderent. De verborum thesauro et locutionum copia eruenda atque excutienda iam dixi ; sed et ipsi sensus, ipsae sententiae, ipsa argumenta penitus, ni fallor, sunt investiganda atque indaganda. Sed haec obiter.

Utrumque vero colloquiorum genus (puerile illud dico et hoc gravius) mira insignitur commendaturque sermonis elegantia, ubertate, venustate verborumque locutionumque copia paene inexhausta, paene infinita, ut dum

*Erasmi Colloquia, Rothomagi apud R. Lallemand, 1773,  
frontispicium. In museo Domus Erasmiana, MEH 1260.*



legas plane non dubites quin Latinus sermo Erasmo paullatim sit factus nativus et patrius. His accedunt ioca immixta, facetiae interspersae, quibus vere efficitur ut ludendo discere tibi videaris (quae virtus in libris scholasticis magni solet aestimari). Nam saepenumero fit ut colloquia incohet ille a iocis rebusque levissimis ; dein transeat ad maiora et graviora ; denique nugis nescio quibus rem rotundet atque absolvat. Cuius viae atque scribendi rationis ut exemplum ponam, simite locos quosdam afferam excerptos e colloquio *Proci et puellae* sive amatoris et virginis cuiusdam. Videte quam levia sint omnia quamque iocosa :

PAMPHILUS : *Salve, crudelis, salve ferrea, salve adamantina.*  
MARIA : *Salve tandem et tu, Pamphile, quoties et quantum voles et quocumque libet nomine. Sed interim mibi videris oblitus nominis mei : Maria vocor.*

PAMPHILUS : *At Martiam dici oportuit !*

MARIA : *Quid ita, quaeso ? Quid mibi cum Marte ?*

PAMPHILUS : *Quia quemadmodum illi deo pro ludo est homines interficere, ita et tibi ; nisi quod tu Marte crudelior occidis etiam amantem !*

MARIA : *Bona verba ! Ubi strages ista mortalium, quos ego occidi ? Ubi sanguis interfectorum ?*

PAMPHILUS : *Unum cadaver vides exanime, si modo me vides.*

MARIA : *Quid ego audio ? Mortuus loqueris et obambulas ? Utinam mibi numquam occurrant umbrae formidabiliores !*

Sequuntur tamen observationes non ita leves de non praecipitando coniugio, de delectu animorum magis quam corporum, de pueris sancte instituendis, de matrimonio caste colendo ; reliqua mitto.

MARIA : *Sed interim perit virginitas.*

PAMPHILUS : *Ego rosam existimo feliciorem, quae marcescit in hominis manu, delectans interim et oculos et nares, quam quae senescit in frutice. Nam et illic futurum erat ut marcesceret. Quamquam non statim marcescit flos puella si nupserit. Immo video multas, quae ante nuptias pallebant, languebant ac velut extabescabant, ex congresu viri sic enituisse, ut tum demum florere coeperint.*  
MARIA : *Attamen favorabilis ac plausibilis apud omnes est virginitas.*

PAMPHILUS : *Elegans quidem res puella virgo, sed quid prodigiosius anu virgine ? Nisi matri tuae defluxisset flos ille, nos istum flosculum non haberemus. Quodsi, ut spero, non sterile fuerit nostrum coniugium, pro una virginie multas dabimus.*

MARIA : *Attamen aiunt rem Deo gratissimam esse casti-*

*tatem.*

PAMPHILUS : *Et ideo castam puellam mibi cupio nubere, ut cum ista caste vivam. Magis erit animorum quam corporum coniugium. Gignemus reip., gignemus Christo. Quantulum aberit hoc matrimonium a virginitate ? Et fortassis sic olim convivemus, quemadmodum vixit cum Maria Ioseph. Sed interim discemus virginitatem. Non enim statim pervenitur ad summum.*

MARIA : *Quid ego audio ? Violanda virginitas ut discatur ?*

PAMPHILUS : *Quidni ? Quemadmodum paulatim bibendo vinum parcius discemus esse abstemii.*

Ceterum in iocos desinit sermo, quos afferre hic supersedeo.

At idem Erasmus censorem saepenumero agebat et ridendo verum aut dicebat aut supra modum exaggerabat, calami facilitate (ut mihi videtur) interdum abrepitus. Quoties enim monachos lascivientes insectatus est ? Ab uno exemplo discite omnia ; quod legitur in *Virgine misogamo* : « Monachi patres vocantur ac frequenter efficiunt ut hoc nomen patris vere competit in illos » (patres ergo vere fiunt procreando). Unum attuli exemplum ; facere tamen non possum quin et alterum laudem locum, quem in praeclaro *Abbatis et eruditae dialogo* videmus scriptum ; in quo monachi ignominiae obiciuntur quod crassa peccent ignorantia in eaque mirum in modum perseverent. Magdalia igitur abbatem interrogat hisce verbis :

MAGDALIA : *Quid sentis de Virgine Matre ?*

ANTRONIUS : *Optime.*

MAGDALIA : *Nonne versabatur in libris ?*

ANTRONIUS : *Versabatur, at non in istis.*

MAGDALIA : *Quid igitur legebat ?*

ANTRONIUS : *Horas canonicas.*

MAGDALIA : *Ad quem usum ?*

ANTRONIUS : *Ordinis Benedictini.*

MAGDALIA : *Sit ita sane !*

Eiusmodi ioci, auditores, ineunte saeculo sexto et decimo tolerabiles haberi solebant ; tolerabantur iidem quo tempore Erasmus colloquia conscripsit. Verum dialogis istis tertium, quartum, quintum editis, tempora sunt mutata. Nam inciderat scriptor in ea misera tempora, cum Lutherana factio et Ecclesia Romana strictis ut ita dicam gladiis inter se obstreperent. Tunc factum ut quis ad mores emendandos censoram egisset, Lutheranarum partium assecla esse diceretur. Tunc factum, ut cum Tullio loquar, ut quod licuit non iam lice-

ret. Tunc factum ut per universum orbem grassarentur furiae quaedam quae effecere ut vir ille qui Latiniores et meliores reddere homines voluisset, e scholis expelleretur. Num omnino inde est extrusus? Non ita. Nam interdum *Colloquia Erasmiana* suppresso scriptoris nomine in lucem tamen sunt edita. Fuere etiam qui nulla facta Erasmi mentione, alienum opus tamquam suum esset divulgarent. Immo Antonius ille Van Torre<sup>7</sup>, Societatis Iesu sodalis qui mediante saeculo decimo septimo floruit dialogosque Latinos et scholasticos posteritati tradidit semel atque iterum typis recusos, non minimam partem operis Erasmiani furatus est; et eius furti litterarii specimen attuli; e quo luce clarissimus patet dialogum quendam fere integrum ex Erasmo esse exscriptum. Nam haec Erasmus:

*PAEDAGOGUS*: *Tu mibi videre non in aula natus, sed in caula: adeo moribus es agrestibus. Puerum ingenuum decent ingenui mores. Quoties alloquitur te quispiam, cui debes honorem, compone te in rectum corporis statum. Aperi caput. Vultus sit nec tristis (...), sed bilari modestia temperatus; oculi verecundi, semper intenti in eum cui loqueris, iuncti pedes, quietae manus. Nec vacilles alternis tibiis, nec sint gesticulosae manus, nec mordeto labrum, nec scabito caput, nec fodito aures.*

*PUER*: *Quid si mediter?*

*PAEDAGOGUS*: *Fac!*

*PUER*: *Siccine satis?*

*PAEDAGOGUS*: *Nondum.*

*PUER*: *Quid si sic?*

Haec autem Van Torre in *Dialogis familiaribus* (I, 9; primum prodiere anno 1657) :

*PAEDAGOGUS*: *Ingenuum adolescentem decent mores ingenui. Dispicet quisquis id aetatis moribus est agrestibus. (...) Moribus, fateor, non es omnino agrestibus; tamen potes perfici. Quoties alloquitur te quispiam, cui debes honorem, ut adstas?*

*TIRO*: *Assurgo accedenti, compono me in rectum corporis statum, aperio caput.*

*PAEDAGOGUS*: *Cetera habeto. Vultus sit bilari modestia temperatus; oculi verecunde intenti in eum quicum loqueris; iuncti propemodum sint pedes; quietae manus; nec vacilles alternis tibiis, nec sint gesticulosae manus, nec mordeto labra, nec scabito caput, nec aures fodito digitis nec nares.*

*TIRO*: *Quid si mediter an capiam?*

*PAEDAGOGUS*: *Fac!*

*TIRO*: *Siccine satis?*

*PAEDAGOGUS*: *Nondum.*

*TIRO*: *Quid si sic?*

Videtis quantilla leviter mutaverit Jesuita. Qui tamen lexico insudavit; nam nomen « gesticulosum » admiserat Erasmus, quod apud veteres non offenditur; itaque perpaucis immutatis litterulis « gestuosum » scripsit Torrius (quod nomen defendit i.a. Aulus ille Gellius). Adaeque « cui loqueris » scripserat Erasmus; more magis Tulliano « quicum loqueris » Flander ille. Quod nares saeculo XVI ab Erasmo sunt omissae in dialogo, saeculo XVII a Torrio admissae, nolite mirari: nam membrum illud locum suum habuit in alio opere Erasmiano, quod *De civitate morum puerilium* inscribitur<sup>8</sup>. Furta illa non admodum admiror ipse. Quotus enim quisque liber tironum in usum editus reperitur qui tantum conducat moribus formandis, qui tantum ad elegantiam sermonis et ad pietatem conferat, quantum Erasmianus ille? Quis tam suaviter tamque delectabiliter irrepit in animos adulescentum eosque tam dulcibus inescavit illecebris? Pauci sunt; pauci fuerunt. Talium virorum fetibus non facile caremus, non facile caruerunt maiores. Proinde tollite, legite! Duxi. ■■■

1. Oratiuncula habita in monte Erycino, mense Septembri anni 2000. Quam coram seminarii Latini participibus habui non ut nova atque inaudita de Erasmi *Colloquiis* proferrem vel in abditiores enarrationis Erasmianae recessus latebrasque unam intra horam Latinam penetrarem, verum ut iuveniles animos ad Erasmus legendum incitarem. In studiorum universitate Antverpiensi Erasmus saepe paelegi; hinc factum ut et mea et alumnorum caussa adumbrare conarer quos ex ea lectione fructus sperando esse sentirem. Eadem rem Nederlandice olim tractavi: consulas librorum et commenationum indicem quem in huius orationis calcem reieci.

2. Breve vitae curriculum Erasmianae si quis Latine legere cupiat, aeat Petri Hofmanni Peerlkampi *Vitas aliquot excellentium Batavorum*, ed. D. Bruins (Zutphaniæ, 1914), pp. 23-28.

3. Cfr. *Lusus Westmonasteriensis sive epigrammatum et poëmatum minorum delectus* (...) (Westmonasterii, 1734), pp. 168-169.

4. Cfr. Bierlaire, *Les Colloques* (1978), p. 298.

5. Cfr. Mariangela Regoliosi, *Nel cantiere del Valla. Elaborazione e montaggio delle « Elegantie », Humanistica*, 13 (Romae, 1993), pp. 120-125.

6. Bömer, *Die lateinischen Schülergespräche*, pp. 46-50 (*Dialogus in quo litterarum studiosus cum beano [id est tirone] quarumvis praceptionum imperito loquitur*).

7. Cfr. F. Bierlaire, « Des Colloques d'Érasme aux Dialogues du Père Antoine van Torre », *Les Études Classiques*, 41 (1973), 50-61.


8. Opusculum nuperrime edidit, Francogallice vertit, adnotatione illustravit Fr. Bierlaire: *La civilité puérile d'Érasme de Rotterdam. Petit manuel de savoir-vivre à l'usage des enfants* (...) Notulae Erasmianae, 3 (Bruxellis, 1999).

## APPENDIX

## Index librorum et commentationum selectus

- ¶ F. Bierlaire, *Érasme et ses Colloques : le livre d'une vie*, Travaux d' Humanisme et Renaissance, 159 (Genavae, 1977)
- ¶ F. Bierlaire, *Les Colloques d'Érasme : réforme des études, réforme des moeurs et réforme de l'Eglise au XVI<sup>e</sup> siècle*, Bibliothèque de la Faculté de Philosophie et Lettres de l'Université de Liège, 222 (Parisii, 1978)
- ¶ F. Bierlaire, « Une page du programme d'histoire revisitée : Érasme et l'Humanisme aux Pays-Bas », *Cabiers de Clio*, 120 (1994), 53-76
- ¶ F. Bierlaire, « Des Colloques " à la manière de... " : trois exemplaires uniques », in *Miscellanea Jean-Pierre Vanden Branden*, Archief- en Bibliotheekwezen in België, Extranummer 49 (Brussel, 1995), pp. 197-217
- ¶ F. Bierlaire, « Colloqui di scuola e educazione infantile nel XVI secolo », in E. Beccia e D. Julia (edd.), *Storia dell'infanzia*, I : *Dall'Antichità al Seicento* (Bari, 1996), pp. 204-230
- ¶ A. Bömer, *Die lateinischen Schülertgespräche der Humanisten. Auszüge mit Einleitungen, Anmerkungen und Namen- und Sachregister. Quellen für die Schul- und Universitätsgeschichte des 15. und 16. Jahrhunderts*, I, Texte und Forschungen zur Geschichte der Erziehung und des Unterrichts (...) (Berolini, 1897 = Amstelodami, 1966), pp. 71-94
- ¶ J. Chomarat, *Grammaire et rhétorique chez Érasme*, Les Classiques de l' Humanisme, II (Parisii, 1981), pp. 849-930
- ¶ Érasme, *Cinq banquets*. Texte, traduction et présentation par B. Boudou, M. Driol, G. Fialon e.a. sous la direction de J. Chomarat et D. Ménager, Textes et Documents de la Renaissance, 4 (Parisii, 1981)
- ¶ Erasmi Roterodami *Colloquia undecim collegit N.J. Singels*, Otium classicum, 3 (Lugduni Batavorum, s.a.)
- ¶ Erasmus von Rotterdam, *Colloquia familiaria. Vertraute Gespräche. Lateinisch und Deutsch*. Ausgew. üb. und hrsg. von H. Rädle, Universal-Bibliothek, 9822 (Stutgardiae, 1976)
- ¶ Erasmus von Rotterdam, *Familiarium colloquiorum formulae. Schülertgespräche. Lateinisch/Deutsch*. Ausgew., üb. und hrsg. von L. Wirth-Poelchau, Universal-Bibliothek, 7784 (Stutgardiae, 1982)
- ¶ Erasmus, *Samenspraken* vertaald door N.J. Singels, Prisma, 699 (Ultraiecti-Antverpiae, 1961)
- ¶ Erasmus : *The Colloquies of Erasmus*. Translated by C.R. Thompson (Chicagine-Londini, 1965)
- ¶ Erasmus von Rotterdam, *Ausgewählte Schriften. Sonderausgabe*, 6 : *Colloquia Familiaria. Vertraute Gespräche*. Übersetzt, eingeleitet und mit Anmerkungen versehen von W. Welzig (Darmstadiæ, 1995)
- ¶ L.-E. Halkin, *Les Colloques d'Érasme choisis, traduits et présentés* (Bruxellis, 1971)
- ¶ L.-E. Halkin, « Le thème du pèlerinage dans les *Colloques d'Érasme* », in C. Reedijk (red.), *Actes du congrès Érasme organisé par la Municipalité de Rotterdam (...) 27-29 octobre 1969* (Amstelodami-Londini, 1971), pp. 88-98
- ¶ L. Massebieau, *Les colloques scolaires du seizième siècle et leurs auteurs (1480-1570)* (Parisii, 1878 = Genavae, 1968)
- ¶ *Opera omnia Desiderii Erasmi Roterodami*, I, 3 : *Colloquia*, edd. L.-E. Halkin, F. Bierlaire, R. Hoven (Amstelodami, 1971)
- ¶ E. Rummel, *Les 'Colloques' d'Érasme. Renouveau spirituel et Réforme*. Traduit de l'anglais par S.W. Griffith-Mester. Préface par G. Bedouelle, Classiques du christianisme (Parisii, 1998)
- ¶ D. Sacré, « Een ophefmakend schoolboek : Erasmus' *Colloquia* », in C. Reyns (ed.), *Werkgelegenheid en inkomen. Referaten colloquium 30 jaar UFSIA* (Antverpiae, 1996), pp. 93-102 et 416-417
- ¶ L. Schlüter, *Een kunsthistorisch-ethische plaatsbepaling van tuin en woning in het Convivium religiosum van Erasmus* (Amstelodami, 1995)
- ¶ R.J. Schoeck, *Erasmus of Europe*, II : *The Prince of Humanists 1501-1536* (Edimburgi, 1993), pp. 236-246
- ¶ E.V. Telle, « Le chartreux du Colloque *Militis et Carthusiani* et Érasme », *Bibliothèque d'Humanisme et Renaissance*, 55 (1993), 231-243
- ¶ G. Thompson, *Under Pretext of Praise. Satiric Mode in Erasmus' Fiction* (Toronti, Buffali, 1973), pp. 87-151
- ¶ E. Wolff, « Érasme conteur : l'anecdote dans les *Colloques* », *Vita Latina*, num. 147 (1997), pp. 30-38

*Erasmi effigies tamquam frontispicium in opere c.t.  
De civilitate morum puerilium libellus, Rothomagi apud  
R. Lallemand, 1773.*



## DE REGINELLIS ELIGENDIS

- narravit Robertus Deprez -

**T**emporibus nostris in unaquaque fere natione fiunt certamina pulchritudinis, ut aiunt, quibus puella, quae victrix evadit, reginella (*miss*) coronatur et tanquam legata elegantiae eiusdem nationis per unum annum habetur. Spectaculum televisificum grandissimum ordinatur, cuius expensae a societatibus quae tuosis solvuntur, quae praeconis diffusis maximum lucrum faciunt propter ingentem telespectatorum numerum. Ritus certaminum illorum ubique idem est : puellae ueste balneari induitae atque latissime subridentes (*praecipue cum animadvertisunt telecameram*<sup>1</sup> imaginem earum capere) apparent, telespectatores telephono suffragia dant, decursu spectaculi numerus puellarum, quae in certamine manent, paulatim minuitur. Cum iam pauciores sunt, tunc venit tempus ut a iudicibus publice interrogentur. Differentiae in responsis plerumque non sunt multae. Omnes puellae gaudent, quod adsunt, omnes familiam suam valde amant, omnes alumnae sunt in studiorum universitate (etsi non omnes videntur scire cui disciplinae studeant), omnes problematum, quae in pauperioribus nationibus sunt, curam maximam habent, omnes concordiae civium naturaeque defensioni favent. In fine, post longam animorum suspensionem, reginella eligitur ; quae statim in lacrimas erumpit, profitetur se nunquam hoc antea speravisse, se omnium indignissimam esse, cunctis praesentibus absentibusque gratias agit, accipitque balteum sceptrum necnon diadema e materia plastica coruscanti factum, quod plerumque bis terve humum cadit antequam capit eius tandem recte imponatur.

Haec de certaminibus « officialibus », si ita dicere licet. Sed in Belgica fortunati sumus, nam ex aliquot annis aliud certamen instituit, cui titulus est *Reginella Belgicae nuda eligenda*<sup>2</sup>. Quae sit differentia praincipua inter certamen illud et certamen officiale, ex appellatione satis perspicue appetet. De tali certamine nihil mali dicam, nisi quod pro dolor televisione nondum transmittitur. Sed electio reginellae Belgicae nudae ante nonnullos annos celeberrima facta est, cum una e reginellis illis, Helenae antiquae haud impar, cursum historiae mutavit. Daniel enim Ducruet, principissae Stephaniae Monoecensis maritus, languore animi tunc patiebatur. In thermopolio quodam convenit puellam illam, quae reginella Belgicae nuda electa erat, quaeque in eo thermopolio spoliatrixis sive nudatrixis<sup>3</sup> munere fungebatur (quod munus sine ullo dubio eam optime praeparaverat ad certamen vincendum). Cum puella videretur optimis naturae donis praedita esse, Daniel Ducruet eam domum invitavit, uxore absente, ut lan-

guorem animi sui curaret. Pro dolor tempestas die illo serenissima erat, ideoque curatio non intra domus parietes sed sub divo, iuxta natabulum, facta est. Casu mirabili accidit ut photographus quidam per nemora adiacentia iter faceret. Teleobiectivo<sup>4</sup> usus, photographemata fecit in quibus sequentia variorum curationis graduum non ita male conspiciebatur, quaeque postea actis diurnis maximo pretio vendidit<sup>5</sup>. Haec omnia principissae Stephaniae non placuerunt, quae divorrium statim petiit et impetravit. Ita Daniel Ducruet, qui dicitur propter qualitates viriles ex humili condicione ad principissae torum evectus esse, ex eodem toro subito praecipitatus est ; *qui gladio vixerit, gladio peribit*, si ita dicere licet. Putavimus operae pretium esse hunc excusum facere, non ut potentiam Veneris demonstraremus (demonstratione enim nulla indiget), sed ut ostenderemus quantum errent illi misogynae<sup>6</sup>, qui impudenter affirmant feminam viro periculo esse : ex iis, quae narravimus, manifesto appetet periculum nullo modo a femina, sed ab animi languore caelique tempestate oriri.

Sed redeamus nunc ad argumentum gravissimum, quod tractandum suscepimus, atque videamus quales radices historicas certamina pulchritudinis habeant.

Nemo est qui ignoret primum tale certamen id fuisse, quod mythologia de Paride nobis narrat. Candidatae tres tantum fuerunt, nam illo tempore nondum erant societas quaestuosa quae pecunia praeconiis televisificis facta certamen sustinerent. Similiter iudex unus fuit, qui victri malum aureum tribuit (materia enim plastica nondum inventa erat, et nihil nisi aurum tunc in promptu habebant quod coruscaret). Exitus autem certaminis pessimus fuit, nam bellum Troianum dicitur inde exortum esse. Gaudendum est quod hodie certamina pulchritudinis non iam tam funesta sunt ; sed tempora feliciter mutata sunt, et nunc bella nonnisi ad iura humana defendenda geruntur.

De priscis temporibus historicis parum scimus. Graeci aliique populi antiqui pulchritudinem corporis feminei magni aestimabant, sed nihil in documentis relatum est de certaminibus quae ad pulcherrimam puellam eligendam instituta essent. Exceptio quidem est in libro Biblico Esther, saeculo II. a.C.n. scripto, qui tamen narrat eventa - verisimillime ficta - quae circiter v.s. a.C.n. facta essent : rex Assuerus (probabiliter Xerxes I. [486-465 a.C.n.] aut Artaxerxes I. [465-424 a.C.n.]) fecit grande convivium cunctis principibus et pueris suis for-

tissimis Persarum et Medorum inclitis et praefectis provinciarum coram se, ut ostenderet divitias gloriae regni sui ac magnitudinem atque iactantiam potentiae suae (Est.1,3-4 Vulg.). Fusse describitur quo magnifico apparatu convivium a rege institutum sit, ut omnes invitati potentiam suam quam praecclare viderent. Deinde rex eunuchis imperavit *ut introducerent reginam Vasthi coram rege, posito super caput eius diademate, ut ostenderet cunctis populis et principibus pulchritudinem illius ; erat enim pulchra valde* (Ibid.,1,11). Hic manifestum fit regem Assuerum pulchritudinem uxoris suae habere ut signum potentiae ac dignitatis suae regiae, quibus in ceteros homines legitime dominetur ; id quanti momenti sit, infra videbimus. Sed regina Vasthi, feministiarum prototypus, noluit esse merum mariti sui instrumentum, et coram invitatis apparere recusavit. Rex valde iratus est, qui, ministris suis instigantibus, Vasthi repudiavit ne aliae regni mulieres exemplum eius inobedientiae imitarentur ! Nova igitur regina invenienda erat. Quod statuerunt ministri, ad propositum hoc assequendum, mirabile est : *quaerantur regi puellae virgines ac speciosae, et mittantur qui considerent per universas provincias puellas speciosas et virgines ; et adducant eas ad civitatem Susan, et tradant eas in domum seminarum sub manu Egei eunuchi, qui est praepositus et custos mulierum regarum ; et accipient*

*mundum 7 muliebrem, et cetera ad usus necessaria. Et quaecumque inter omnes oculis regis placuerit, ipsa regnet pro Vasthi* (Ibid.2,2-4). Puellae ex omnibus provinciis adductae sunt ad regem, qui Esther formosissimam elegit, *qui posuit diadema regni in capite eius fecitque eam regnare in loco Vasthi* (Ibid.2,17).

Legimus igitur verum « certamen » ad reginam eligendam institutum esse, quod, omnibus rebus perspectis, a certaminibus reginellarum hodiernis non multum differt : puellae arcessuntur ex omnibus provinciis (etiamnunc hodie unaquaque provincia candidatam suam ad certamen mittit !), in domo regia congregantur (hodie in quodam amoeno palatio, unde spectaculum electionis televisifice transmittitur), « mundo muliebri » ceterisque ornamenti parantur (hodie societas, quae unguenta odores aliaque ornamenta fabricant venditant, ea puellis gratis offerunt ut nomen suum in praeconiis televisificis appareat !), puella electa coram populo diadema accipit (hodie item ; de matre autem vide supra !). Duae sunt tamen differentiae : primum certamina hodie non iam diriguntur ab eunucho, sed a societatibus televisificis quaestuosisque, quas nonnunquam nobilis domina repraesentat (exempli gratia in Francogallia et in Belgica domina Genovefa de Fontenay), deinde puellae non iam debent virgines



Petri Pauli Rubens Iudicium Paridis (c. 1635-38), Londinii in pinacotheca nationali.

esse (nisi necessitas haec sublata esset, candidatae verisimiliter adhuc pauciores essent quam tempore Paridis). Sed quid de huius narrationis veritate historica censendum est ? Ut supra diximus, omnes fere historici putant eventa libri Esther facta esse ; nihil tale in aliis documentis narratur, et reges Persiae, sicut omnes reges usque ad recentissimum tempus, uxorem suam secundum necessitates familiares politicas diplomaticas ve eligeant, nullo modo secundum pulchritudinem. Nihilominus iidem reges Persiae praeter uxorem legitimam multas concubinas apud se habebant, quae, secundum mores orientales usque ad finem imperii Turcici servatos, in gynaeceo<sup>8</sup> palatii vivebant qui busque eunuchi inserviebant. Nonnullae res, quae in narratione apparent, ad tale gynaeceum concubinarum pertinere videntur : mentio « domus feminarum » nec non « Egei eunuchi, praepositi et custodis mulierum regiarum ». Traditiones orales rarissime facta ex nihilo fingunt, sed saepius eventa minora decursu temporis augent. Impossibile non est aliquando certamen concubinarum factum esse, atque « reginam » gynaecei electam esse, cuius memoria propter bonum eius influxum in regem posteritati tradita esset. Quidquid id est, hoc unum negari non potest : liber Esther per totam Iudaitatem Christianitatemque diffusus est, et, ut infra videbimus, magnum momentum in litteris necnon in mente hominum habuit.

Accedamus nunc ad tempora paulo propiora. Valde erraret qui putaret christianos pulchritudinem femineam semper sprevisse ; nihil hac opinione falsius, praecipue in orbe Graeco orientalique. Immo in arte iconum sive imaginum pulchritudo ipsa facta est signum sanctitatis: ita sublimatum est atque « spiritualizatum » illud vetus ideale propositum Graecorum, quod verbis καλὸς κἀγαθός<sup>9</sup> exprimebatur. Nonne Arcadius, filius Theodosii I. successorque eius in imperio Romano orientali regendo (395-408), dicitur amore Eudoxiae captus esse cum solam imaginem eius vide-ret, itaque eam uxorem elegisse ? Oportet autem usque ad VIII. saeculum descendamus, ut de vero certamine pulchritudinis aliquid legamus. Illo enim tempore Carolus Magnus, Francorum rex, filiam suam Constantino VI. imperatori desponderat. Propter tamen rivalitatem politicam inter regnum Francorum et imperium Romanum, Carolus sententiam suam subito mutavit ; ideo Irena, Constantini VI. mater, quae imperium pro filio adhuc adulescenti regebat, debuit alteram sponsam ei invenire. Historici illius temporis nos docent Irenam puellam pulcherrimam elegisse, Mariam nempe Amniensem, e nobili sed ignota familia regionis

orientalis imperii natam. Avus puellae Philaretus vocabatur, qui postea inter sanctos annumeratus est. Consobrinus eius librum scripsit, cui titulus *De Vita Sancti Philareti*, in quo multo plura leguntur de modo quo Maria electa sit. Secundum enim librum illum hagiographicum, Irena anno 788 legatos misit, qui totum imperium percurrent ut optimam sponsam invenirent. Legati pervenerunt ad domum Philareti, qui eos accepit et deinde eorum iussu tres neptes suas, quarum Maria primogenita erat, eis ostendit. Legati omnes tres virgines secum Constantinopolim adduxerunt, ubi, una cum ceteris puellis ex omnibus imperii regionibus ortis, in domum regiam admissae sunt. Irena inter omnes candidatas Mariam animadvertisit eamque elegit. Historici adhuc disputant de veritate historica huius narrationis, in qua multa elementa e libro Biblico Esther aliisque scriptis piis deprompta esse videntur, sed multi putant inter nonnulla facta facta haud pauca vera esse<sup>10</sup>. Praeterea in narratione res mirabilis legitur : legati Irenae, dum in domo Philareti sunt, antequam Mariam secum adducere statuant, metiuntur staturam eius, amplitudinem uberum eius necnon magnitudinem soccorum eius. Tales mensurae staturaem amplitudinisque uberum, una cum amplitudine laterum coxarumque, adhuc hodie maximi momenti sunt non solum apud candidatas certaminum pulchritudinis sed etiam praecipue apud industrices<sup>11</sup>. Quaestio magnitudinis puellae soccorum invenitur alibi in litteris mediaevalibus recentioribusque et praesertim in fabula Cinerellae, qualis a scriptore Francogallo Carolo Perrault (1628-1703) narrata est.


Irenae (quae, filio amoto, seipsam *basilea* professa erat) successit Nicephorus, qui et ipse sponsam filio Stauracio invenire cupiebat ; secundum Theophanem historicum, Nicephorus quoque certamen puellarum anno 807 instituit, quod tamen vitiavit ita ut non puerla optima, sed ea quam ipse elegerat, vinceret.

In scripto c.t. *De Vita Theodora* legimus quomodo ipsa Theodora uxor imperatoris Theophilii electa sit inter mirum certamen ab Euphrosyna, imperatoris noverca, anno 830 institutum. Theophilus septem virgines selecti deinde unicuique earum malum (non aureum, sed verum !) dedit. Crastino die omnes septem puellas ad se iterum vocavit : sex earum malum comederant, sed Theodora malum suum servaverat immo alterum imperatori obtulit, quod futurum filium symbolice representabat. Narratio mirum in modum elementa mythologica cum Biblicalis miscet.

Aliud scriptum hagiographicum mentionem facit certaminis quod Theodora anno 855 instituit ut sponsam dignam filio suo Michaeli III. eligeret. Item anno 882 uxori futuri imperatoris Leonis VI. simili certamine electa est.

Ut supra diximus, historici de veritate talium narrationem disputant, cum sint plerumque elementis Biblicis iisdemque « aedificatoriis », ut aiunt (id est : ad aedificationem moralem lectoris pertinentibus), repleteae ; altera ex parte, ars critica historica non potest narrationes omnino reicere nam multae earum breve post tempus scriptae sunt (immo nonnunquam actoribus adhuc viventibus) atque cum iis, quae de imperio Romano orientali scimus, saepe congruunt. Itaque historica Francogalla Irena Sorlin, rerum Byzantinarum

perita, putat certamina puellarum vere facta esse, etsi nonnunquam victrix potuit in antecessum electa esse secundum criteria dignitatis imperialis <sup>12</sup>. Omnes imperatores vel futuri imperatores, quorum sponsae tali certamine designatae sunt, porphyrogenneti <sup>13</sup> erant. Inde ab infantia pompa imperiali circumdabantur atque ad imperium exercendum educabantur. Matrimonium cum virgine ex optimis regni puellis curate electa, talem praeparationem quadamtenus concludebat. Quod iuveni imperatori formosissimam splendidissimamque feminam sponsam eligere licebat, signum patentissimum potentiae dignitatisque suea erat ; hic redimus ad id, quod de rege Assuero in libro Esther dixeramus. Insuper electio futurae reginae inter candidatas ex omnibus imperii regionibus ortas, signum erat roboris eiusdem imperii (non opus erat



*Alberti Dürer opus de corporis humani proportionibus c.t. « Hierin sind begriffen vier Bücher von menschlicher Proportion durch Albrecht Dürer von Nürnberg erfunden und beschrieben, zu nutz allen denen, so zu dieser Kunst lieb tragen », Norimberga apud A. Rösch, 1528.*

principissam in extera regione quaerere ad relationes diplomaticas creandas confirmandas) et elementum quoddam « democraticum » imperio inserebat, nam theoretice qualiscumque puella, dummodo pulchra honesta pia esset, aliquando regina fieri poterat (hoc non debet nimis augeri quia practice puella electa semper nobilis erat !).

Postea nulla mentio certaminum pulchritudinis in chronicis Byzantinis fit, sed notio hic illuc iterum appareat in litteris et Graecis et occidentalibus (e.g. in *Heracio Valtheri Atrebatenensis* [XII.s.] et in fabula Byzantina c.t. *De Belthandro et Chrysantza* [XIV.s.]). Marcus Polo, viator Venetus celeberrimus (1254-1324), scripsit de similibus certaminibus in aula regis Mongolici Cubilaei factis. Certamina pulchritudinis facta sunt postea in Sinis, dynastia Ming regnante (XIV.-XVII.s.) ; sed imperatores illi non legitimas uxores sed concubinas ita eligebant. Econtra imperatores Russi (sive, ut tunc dicebantur, Moscovienses) a XVI. ad XVIII. saeculum certamina instituerunt ad uxorem suam legitimam eligendam.

Nihil mirum igitur si certamina reginellarum, qualia hodie fiunt, tantam pompam regalem praebent ! Caveamus nos humanistae ne talia spectacula, quae tot elementa historiae cultusque humani nostri secum ferunt, spernamus ! Scio te, optime lector studio literarum humaniorum flagrans, hoc iamdudum, licet inconscie, intellexisse. Nunc autem si quis stultus barbarus incultus tibi exprobraverit, quod talia in televisione species, melius scies quid sit ei respondendum ; et nihil mihi maiori gaudio esse poterit, quam tibi in hac re utilis fuisse. ☺

1. Τῆλεcamērā : haec vox fortasse non omnibus placebit, sed multo simplior mihi videtur esse quam id, quod *Lexicon Recentis Latinitatis* (*RL*) Vaticanum proponit (s.v. *telecamera*) : *apparatus impressioni televisificae aptus, m.* (!). Antequam hoc enuntiatum sit, telespectator iamdudum opere telemoderati programma mutavit...

2. Fr. *Election de Miss Belgique nue*.

3. Secundum *RL* (s.v. *spogliarellista*) talis puella dicenda est *sui ipsius nudatrix*. Sed verba *sui ipsius* locutionem longiore faciunt et non videntur omnino necessaria, cum significatio satis pateat !

4. *RL* : obiettivo (3) lenticulare vitrum, n. Syn : lens photographica (Bacci) ; teleobiettivo telelenticula, ae f. *Lexicon Auxiliare* (Helferianum) :

Objektiv orbiculus vitri convexus, lens obiectiva ; vitrum obiectivum ; Teleobjektiv telelenticula, ae f. I.M. Mir iamdudum demonstravit (*Nova Verba Latina*, Ed. Claret [Barcinone] 1970, p.129 ; n.49) tales locutiones ineptas esse, atque proposuit (s.v. *objetivo*) *objectivum* aut *specillum objectus*.

*Objectivum* videtur esse verbum technicum necessario inducendum, nam obiectiva photographica hodierna non ex una lente, sed e pluribus, constant, praecipue teleobiectiva et obiectiva latiorem angulum complectentia.

5. Fuerunt qui tunc dicerent photographum pecuniam puellae dedisse, ut ipse photographemata illa faceret indeque maximum lucrum ; sed nescio quis talibus fabulis credere possit.

6. Gr. ὁ μισογύνης, οὐ = misogynā sive feminarum osor.

7. Mundus, i : hic non significat *orbem terrarum* sed *ea, quae necessaria sunt ad corpus ornandum colendumque*. Verbum Graecum q.e. ὁ κόσμος, οὐ eandem duplēcē significationem praebet.

8. Gynaecēūm, ī : in contextu orientali, hoc verbo significari potest id quod hodie in plerisque linguis *barem* dicitur, quod verbum e lingua Arabica deductum est (*baram* vel *barīm*) et proprie *locum sacrum, seiunctum* significat.


9. Contractio verborum, quae sunt καλὸς καὶ ἀγαθός, « pulcher bonusque » : in mente Graecorum antiquorum notiones pulchri et boni prorsus copulatae erant et eandem realitatem exprimebant. Animadvertisendum est in lingua Latina adiectivum *bellus, a, um*, quod in multis linguis Neoromanicis pro *pulcro* usurpat, etymologice cum *bono* coniunctum esse.

10. Cfr. I. Sorlin : *Les plus belles impératrices sont à Byzance*, L'Histoire n° 246 Sept. 2000, pp.60-63.

11. *Indutrix, icis* f. : (top) model. Dicitur quoque *monstratrix, icis*, quod verbum, nisi e contextu significatio pateat, ambiguum esse potest. Cfr. *Nuntii Latinii* 26/11/99, *Vestium monstratrixes nimis macrae* (T. Pekkanen), ubi alterum verbum adhibetur.

12. Cfr. op.cit. supra an.10 ; cfr. quoque I. Sorlin : *La plus belle ou la meilleure ? Note sur les concours de beauté à Byzance et dans la Russie moscovite des XVIe-XVIIe siècles*, Mélanges Ahrweiler, Paris, Publications de la Sorbonne, 1998.

13. Gr. πορφυρογέννητος = *in purpura natus*. Ita vocabatur filius imperatoris qui patre regnante natus erat.





# *In hoc fasciculo !*

*Ad lectorem p. I*

*De Desiderii Erasmi Colloquiis [Th. Sacré] p. 2*

*De reginellis eligendis [R. Deprez] p. 12*

---

## LATINE LOQVI...

### SEMINARIA LATINITATIS VIVAE

Seminaria Societatis Latinae sunt prima huius generis, quae inde ab anno 1973 instituebantur. Moderatores sunt Dr P.C. Eichenseer, Latinitatis omnium aetatum vere peritus, et D.rix S. Albert, quae tirones delectabiliiter diligenterque in consuetudinem Latine loquendi inducit ac textus Latinos (sed plerumque humanisticos et posthumanisticos) legit, interpretatur atque de iisdem colloquia instituit. ¶ Duo seminaria anno 2001 instituentur : Morsaci (Morschach) in Helvetia : 22-28 m. Iulii a. 2001. Qui plura scire volunt scribant ad Societatem Latinam, Universität, FR 6.3, D-66041 Saarbrücken (s.albert@rz.uni-sh.de) ¶ in Belgica in abbatia Maredsolana : 4-11 m. Augusti a. 2001. Qui plura scire volunt scribant ad Gaium Licoppe, Avenue de Tervueren, 76, B-1040 Bruxelles, inscriptio electronica : guy.licoppe@pophost.eunet.be

### FERIAE LATINAE

Media in Provincia, in abbatia Sancti Michaelis Ferigoletensis, loco amoenissimo et quietissimo, a die 27 m. Iulii ad diem 3 m. Augusti fient feriae aestivae inter quas lingua Latina sit sermo participum communis. Quae Feriae Latinae a P. Suitberto Siedl anno 1982 sub auspiciis Operis Fundati c.n. Latinitas sunt conditae. Invitantur non solum professores et docentes et studentes, sed etiam tirones et homines cuiuscumque munieris, utpote qui cupiant, cum aliis sodalibus e variis nationibus oriundis, Latine sermocinari, studere, ludere, immo, vivere. ¶ Qui plura scire volunt scribant ad Iohannem Claudium Champeau, 121, chemin des Moulins supérieur, F-06510 Gattières, vel Clementem Desessard, Rés. des Collines, C9, 500, rue Léo Brun, F-06210 Mandelieu

### CONVENTICVLVM LEXINTONIANVM

Permultis linguae Latinae cultoribus non solum Americae Septentrionalis regiones, verum alias etiam orbis terrarum partes habitantibus iam innotuerunt conventicula Latine loquentium, quae Lexingtoniae in civitate Kentukia quotannis celebrantur. ¶ Conventiculum anno bis millesimo primo a mensis Iulii die vicesimo usque ad tricesimum agitabitur. Eo in primis

proposito congregabuntur participes ut peritiam aliquam ex tempore et volubiliter Latine sermocinandi permultaque Latine exprimendi adipiscantur. Id tantum in ipsis sessionibus agetur ut socii facultate Latine dicendi, audiendi, intellegendi assuefiant. ¶ Qui plura scire volunt scribant ad Professorem Terentium Tunberg, inscriptio electronica : clatot@pop.uky.edu

### SEMINARIVM OPOLIENSE

14-21 m. Iulii a. 2001 fiet in Silesia, in pulcherrimo castello quod continet Sanctuarium Sancti Hyacinthi et Centrum Scientificum Universitatis Opoliensis. Thema huius anni erit de Silesia imbuta humanismo Europae. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Ingam Pessarra-Grimm, Nordstrasse, 39, D-59174 Kamen, inscriptio electronica : ipg@surfeu.de

### CONVENTICVLVM RVSTICVM VASINTONIENSE

habebitur mense Iunio anni 2001 in urbe Vasintoniensi Wenatchee, cui nomen Latinum est Aquae Albae de die 23. mensis Lunii usque ad diem 1. Iulii. Moderabuntur Terentius Tunberg, professor studiorum classicorum apud Studiorum Universitatem Kentukiae Lexingtonensem, Stephanus Berard, professor linguarum apud Studiorum Collegium Vallis Aqualbensis, Iacobus Dobreff, moderator veteranus Conventiculorum Lexingtoniensium. Hoc Conventiculum Rusticum erit optima occasio sermonem Latinum vivo modo exercitandi, nam singulis fere diebus excursio didascalica ambulatoria fiet in qua non solum licebit participibus sermones sponte conserere sed etiam omnia quae viderint sermone Latino, moderatoribus adiuvantibus, fuse describere : arbores et plantas, montes et moles glaciales, fluvios, animalia, aves, insecta, caelum et alia multa. Inprimis placebit huiusmodi conventiculum eis quibus cordi sint amoenitates locorum quique ament amice garrientes, linguae peritiam meliorem facientes silvas montesque et alia loca rustica perlustrare. ¶ Qui plura scire volunt scribant ad Professorem Stephen A. Berard, Department of World Languages, Wenatchee Valley College, 1300 Fifth Street Wenatchee, WA 98801, inscriptio electronica : sberard@wvcmail.ctc.edu